



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 11. Arescotius Dux e captivitate fuga elapsus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1556.

§. XI.

*Arescotius Dux e. captivitate  
fuga elapsus.*

*Thuan. l. c.  
Sleidan. l. 16.*

EVolutis quatuor diebus postea de captivis commutandis inter partes transactum fuit, conventumque, ut utrinque dimitterentur milites quidem trimestri stipendio exsoluto, nobiles vero unius anni suorum bonorum reditum dependerent, quod præstito Sacramento citra fraudem fieret, exciperentur autem ex Gallis Bullionius Dux, & Franciscus Montmorantius, quorum hic Teruanæ, ille Hedini captus fuerat: ex Cæsareis excipiebatur Philippus Crojus Arescotii Dux prælio in Ambianis commisso, cum se vili rustici veste velasset, captus, qui in Vicenarum castro asservabatur: verum postea placuit, ut utrinque etiam illi dimitterentur accepto pretio, de quo intra tres menses conveniretur, sed re in longum extracta Arescotius die decima Maji ex castro evasit, & inde in patriam suam sanus, atque incolumis reversus est. Hujus Belliducis fugam Montmorentius Connestabilis, qui filium suum cum Arescotio Duce permutandum sperabat, ægerrime ferebat, cum vero id nonnisi consciis, & fugæ adjutoribus factum appareret, quæstio habebatur de Francisca

cisca Ambrosia Caroli Croji Senigani Sæcul. XVI.  
Comitis, qui Philippi avunculus erat, A.C. 1556.  
vidua, quæ jamjam suspecta admodum  
severe habita est, ideo nihil non actum,  
ut rei per veros, vel falsos testes pro-  
batio erueretur; unde Ambrosia ipsa in  
carcerem conjecta, atque ignominiose  
longo tempore vexata est.

## §. XII.

*Papa, ejusque Nepotes ad harum indu-  
ciarum nuntium afflicti.*

Ceterum haud ægre concipi potest, Pallav. l. 13.  
quanto dolore Papa, ejusque Ne- c. 16. n. 3. & 5.  
potes firmatas hæc inducias percepe- Thuan. l. 17.  
rint; exinde enim Paulus IV. auctori-  
tatem suam imminui, seque Cæsaris, ac  
Galliarum Regis inter se conspirantium  
arbitrio exponi pertimescebat. Præte-  
rea Caraffa Cardinalis Princeps quietis  
impatiens, cum Patrum suum jam æ-  
tate provectum, ac induciarum tempus  
nimis longum cerneret, spem abjece-  
rat, fore, ut Hispani, quos odio plus-  
quam Vatiniano insequeretur, ex Neapoli  
propellerentur. His accessit, quod ei-  
dem omnis belli apparatus in irritum ce-  
cidisse videretur; quamvis Pontifex Mense  
Novembri anni prioris indigenas Roma-  
nos milites recensuisset, quæsito obten-  
tu, quod hujus urbis securitati prospice-  
re, ac tumultus ibidem a Sfortiæ a-

*Hist. Eccles. Tom. XLII. A a micis*